

sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si nutrix foveat filios suos. Quod ergo ad Corinthios dicit, habere se potestatem apostolatus sui, sicut & ceteri Apostoli, qua potestate usum se non esse testatur; hoc etiam in isto loco ad Thessalonicenses ait: *Cum possemus oneri vobis esse, ut Christi Apostoli;* secundum quod Dominus dicit: *Dignus est operarius mercede sua.* Nam hinc eum dicere, illud indicat quod supra posuit: *Neque in occasione cupiditatis, Deus testis est.* Per hoc enim quod iure dominico debebatur bonis Evangelistis, non propter hoc evangelizantibus, sed quærentibus regnum Dei, ut hæc omnia apponerentur eis, inveniabant alii occasionem, de quibus idem dicit: *Neque enim isti Deo serviunt, sed suo ventri.* Quibus hanc occasionem amputare volebat Apostolus, ut etiam quod sibi iuste debebatur omitteret. Aperte quippe hoc ipse ostendit in secunda ad Corinthios, ab aliis Ecclesiis suppletas dicens necessitates suas. Venerat enim, sicut apparet, ad tantam indigentiam, ut de longinquis Ecclesiis ei necessaria mitterentur, dum tamen ab eis apud quos erat nihil tale acciperet. *Numquid peccatum, inquit, feci me ipsum humiliando ut vos exaltarentini, quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis? Alias Ecclesias exspoliavi accipiens stipendium ad vestram ministrationem; & cum apud vos fuisset & egerem, nemini gravis fui. Nam id quod deerat mihi adimpleverunt fratres qui venerunt à Macedonia, & in omnibus ingravatè me in vobis custodivi, & custodiam. Est veritas Christi in me, quia gloria hæc non infringetur in me in regionibus*

1. Cor. 9.

5.

1. Thess. 2.

7.

Lucæ 10.

7.

1. Thess. 2.

5.

Rom. 16.

18.

2. Cor. II.

7. Sc.

bus Achaia. Quare? Quia non vos diligo? Deus scit. Quod autem facio & facturum sum, ut amputem occasionem eorum qui volunt occasionem, ut in quo gloriantur, inveniantur sicut & nos. De hac igitur occasione, quam hinc se dicit amputare, voluit intelligi quod ibi ait: *Neque in occasione cupiditatis, Deus testis est.* Et quod hinc dicit: *Me ipsum humiliando, ut vos exaltarentini;* hoc in prima ad eosdem Corinthios: *Factus sum infirmis infirmus;* hoc ad Thessalonicenses: *Factus sum parvulus in medio vestrum, tamquam si nutrix foveat filios suos.* Proinde adtende sequentia: *Ita, inquit, desiderantes vos, placet impertire vobis, non solum Evangelium Dei, verum etiam animas nostras; quoniam carissimi nobis facti estis. Recordamini enim, fratres, laborem nostrum & ærumnam, nocte & die operantes, ne quem vestrum gravaremus.* Hoc enim superius ait: *Cum possemus oneri vobis esse, ut Christi Apostoli.* Infirmorum igitur periculis, ne falsis suspicionibus agitati odissent quasi venale Evangelium, tamquam paternis maternisque visceribus tremefactus hoc fecit. Sic etiam in Actibus Apostolorum idem loquitur, cum à Mileto mittens Ephesum vocasset inde presbyteros Ecclesiæ, quibus inter multa: *Argentum, inquit, & aurum vel vestem nullius concupivi, ipsi scitis, quoniam necessitatibus meis & eorum qui mecum fuerunt, hæc manus servierint. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet juvare infirmos, memores etiam verborum Domini Jesu, quia ipse dixit: Beatius est magis dare quam accipere.*

14. HIC fortasse aliquis dicat: Si corpora-

1. Thess. 2.

5.

2. Cor. II.

7.

1. Cor. 9.

22.

1. Thess. 2.

7. Sc.

Act. 20.

33. Sc.

CAPUT
XIII.

Quod erat
opus cor-
porale A-
postoli.

rale opus operabatur Apostolus, unde vitam istam sustentaret; quod erat ipsum opus, & quando ei vacabat & operari & Evangelium prædicare? Cui respondeo: Puta me nescire; corporaliter tamen operatum esse, & inde in carne vixisse, non autem usum potestate quam Dominus Apostolis dederat, ut Evangelium annuntians de Evangelio viveret, ea quæ supra dicta sunt sine ulla dubitatione testantur. Neque enim aut uno loco aut breviter dictum est, ut possit cujusvis astutissimi tergiversatione in aliam traduci pervertique sententiam. Cum igitur tantæ auctoritatis tam magnis & crebris molibus contradicentium conteratur adversitas, quid à me quærunt, vel quale opus faciebat, vel quando faciebat? Unum scio, quia nec furta faciebat, nec effractor aut latro erat, nec auriga aut venator aut histrio, nec turpilucus; sed innocenter & honestè quæ apta sunt humanis usibus operabatur; sicut sese habent opera fabrorum, structorum, sutorum, rusticorum, & his similia. Neque enim honestas ipsa reprehendit, quod reprehendit superbia eorum qui honesti vocari amant, sed esse non amant. Non igitur dedignaretur Apostolus sive rusticorum opus aliquod aggredi, sive in opificum labore versari. Qui enim ait: *Sine offensione estote judæis, & græcis, & Ecclesiæ Dei;* quos in hac causa revereri posset ignoro. Si judæos dixerint; Patriarchæ pecora paverunt: si græcos, quos etiam paganos dicimus; etiam philosophos multum sibi honorabiles sutores habuerunt: si Ecclesiam Dei; homo ille justus & ad testimonium conjugaliter semper mansurae virginitatis electus, cui desponsata erat virgo Maria, quæ peperit Christum, faber fuit.

Opera honesta ad victum comparandum.

1. Cor. 10.
23.

Matth. 13.
55.

fuit. Quidquid ergo horum cum innocentia & sine fraude homines operantur, bonum est. Nam præcævet hoc & ipse Apostolus, ne quisquam ex necessitate sustentandæ vitæ in mala opera dilabatur. *Qui furabatur, inquit, jam non furetur: magis autem laboret manibus suis bonum, ut habeat unde tribuere cui opus est.* Hoc ergo scire sufficit, quia & in ipso opere corporali id quod bonum est operabatur Apostolus.

15. Quando autem soleret operari, id est, quibus temporum spatiis, ne ab evangelizando impediretur, quis possit comprehendere? Sanè quia & diurnis & nocturnis horis operabatur, ipse non tacuit. * VERUMTAMEN isti, qui tamquam multum negotiosi & occupati de tempore operationis inquirunt, quid agunt? Numquid ipsi ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum terras Evangelio repleverunt? Aut quidquid gentium barbararum remansit adhuc obeundum & implendum de pace Ecclesiæ susceperunt? Novimus eos in quamdam sanctam societatem otiosissimè congregatos. Mirandam rem fecit Apostolus, qui revera in tanta sollicitudine omnium Ecclesiarum, & propagatarum & propagandarum, ad ejus curam laboremque pertinentium, etiam manibus operabatur: propterea tamen, cum apud Corinthios esset & egeret, nemini quidem eorum apud quos erat, gravis fuit; sed planè quod illi deerat, suppleverunt fratres qui venerunt ex Macedonia.

16. NAM & ipse propter ejusmodi necessitates sanctorum, qui quamvis præceptis ejus obtemperant, ut cum silentio operantes panem manducant, possunt tamen multis ex causis indigere supplemento aliquo talium

Ephes. 4.
28.

Quando soleret Apostolus operari.

1. Thes. 2.

9.

2. Thes. 3.

8.

* CAPUT

XIV.

Monachorum otium.

Rom. 15.

19.

2. Cor. 11.

9.

CAPUT

XV.

Paulus

præcipiens

operari servos

Dei,

non vult

ta-

tamen eorum necessitates minus curari à fidelibus.
2. The. 3.
12.

Ibidem 13.

Tit. 3. 13.

Ibidem 14.

1. Tim. 5.
23.

Labor servus Dei eligendus qui animo libero exerceatur sine cura & cupiditate.

2. Tim. 2.

3. Sc.

lium sustentationum, cum dixisset talia docens & præmonens: *His autem qui ejusmodi sunt, præcipimus & obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes suum panem manducant; ne illi qui habebant unde necessaria servis Dei præberent, hac occasione pigrescerent, providens continuo subjecit: Vos autem, fratres, nolite infirmari benefacientes.* Et ad Titum cum scriberet, dicens: *Zenam legisperitum & Apollo sollicitè præmitte, ut nihil illis desit; ut ostenderet unde illis nihil deesse deberet, continuo subjunxit: Discant autem & nostri bonis operibus præesse ad necessarios usus, ne sint infructuosi.* Timotheum etiam, quem dicit germanissimum filium, quoniam sciebat corpore infirmum, sicut ostendit, monens eum ne aquam biberet, sed modico vino uteretur propter stomachum & frequentes suas infirmitates; quia in opere corporali laborare non poterat, ne fortè cum indigere noller victu quotidiano ab eis quibus Evangelium ministrabat, aliqua sibi negotia quæreret, quibus animi ejus implicaretur intentio (Aliud est enim corpore laborare animo libero, sicut opifex, si non sit fraudulentus & avarus, & privatæ rei avidus: aliud autem ipsum animum occupare curis colligendæ sine corporis labore pecuniæ, sicut sunt vel negotiatores, vel procuratores, vel conductores: cura enim præsumt, non manibus operantur, ideoque ipsum animum suum occupant habendi sollicitudine) Timotheum ergo, ne in talia incideret, quia per infirmitatem corporis manibus operari non poterat, sic exhortatur, monet, & consolatur: *Labora, inquit, sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo militans Deo im-*

implicat se negotiis sæcularibus, ut placeat cui se probavit. Nam qui in agone contendit, non coronatur nisi legitime certaverit. Hic ne ille pateretur angustias, dicens: *Fodere non possum, mendicare confundor;* adjunxit: *Laborantem agricolam primum oportet de fructibus percipere; secundum illud quod ad Corinthios dixerat: Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non percipit? Fecit ita securum castum Evangelistam, non ad hoc evangelizantem ut venderet Evangelium, sed tamen huic vitæ necessaria suis sibi exhibere manibus non valentem; ut intelligeret, quod necessarium sibi sumebat ab eis quibus tamquam provincialibus militabat, & quos tamquam vineam cultura exercebat, vel tamquam gregem pascebat, non esse mendicitatem, sed potestatem.*

17. PROPTER has igitur vel occupationes servorum Dei, vel infirmitates corporales quæ omnino deesse non possunt, non solum permittit Apostolus sanctorum indigentias suppleri à bonis fidelibus, sed etiam saluberrimè hortatur. Excepta enim illa potestate, qua se dicit ipse non usum, cui tamen serviendum esse à fidelibus præcipit, dicens: *Communicet qui catechizatur verbum, ei qui se catechizat in omnibus bonis; excepta ergo hac potestate, quam verbi prædicatores habere in eos quibus prædicant, sæpè testatur, etiam sanctis qui omnia sua vendita distribuerant, & Jerosolymis habitabant in sancta communione vitæ, non dicentes aliquid proprium, quibus erant omnia communia, & anima & cor unum in Deum, ab Ecclesiis*

Luc. 16. 3.

2. Tim. 2. 6.

1. Cor. 9. 7.

CAPUT XVI.

Paulus vult à fidelibus suppleri necessitates servorum Dei, qui victum sibi propter occupationes vel infirmitates comparare non valent.

Gal. 6. 6.

Act. 2. 44.
& 4. 32.

gen-

gentium necessaria conferri præcipit & hortatur. Inde est & illud ad Romanos: *Nunc igitur pergam Jerusalem ministrare sanctis.* Placuit enim Macedoniae & Achaiae communionem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt Jerusalem. Placuit enim illis, & debitores eorum sunt. Si enim spiritualibus eorum communicaverunt gentes, debent & in carnalibus ministrare eis. Hoc simile est illi, quod ait ad Corinthios: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus?* Item ad Corinthios in secunda: *Notam autem, inquit, vobis facimus, fratres, gratiam Dei quæ data est in Ecclesiis Macedoniae, quia in multa probatione tribulationis, abundantia gaudii eorum & profunda paupertas eorum abundavit in divitiis simplicitatis eorum, quia secundum vires, testimonium perhibeo, & supra vires voluntarii fuerunt, cum multis precibus obsecrantes nos gratiam & communionem ministrationis quæ fit in sanctos: & non quomodo speravimus, sed se ipsos tradiderunt primum Domino, & nobis per voluntatem Dei, ad deprecandum Titum, ut quomodo cepit, sic et consumet in vos etiam gratiam istam. Sed quomodo ^a semper abundatis in omnibus fide, & verbo, & scientia, & omni studio, & ea quæ ex vobis est in nos caritate, ut & in hac gratia abundetis. Non secundum imperium dico, sed propter aliorum studium, & vestræ caritatis ^b carissimum probans. Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter*

^a Vindocinensis MS. super abundatis.

^b Unus & alter codex, ingenium carissimum.

*vos pauper factus est, cum dives esset, ut illius paupertate vos ditaremini. Et consilium in hoc do: hoc enim vobis prodest, qui non solum facere, sed etiam velle cepistis ab anno priore, nunc autem & facto perficite, ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi ex eo quod quisque habet. Si enim promptus est animus, secundum id quod habet acceptabilis est, non secundum id quod non habet. Non enim ut aliis sit refectio, vobis autem angustia, sed pro æqualitate in hoc tempore, ut vestra abundantia sit ad illorum inopiam, ut & illorum abundantia fiat in vestram inopiam, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est: Qui multum, non abundavit; & qui modicum, non defuit illi. Gratias autem Deo, qui dedit idem studium pro vobis in corde Titi: quia consolationem quidem suscepit; studiosior autem cum esset, sponte exiit ad vos. Misimus autem cum eo fratrem, cujus laus in Evangelio est per omnes Ecclesias. Non solum autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ, cum hac gratia quæ ministratur à nobis ad Domini gloriam & promptum animum * nostrum: devotantes hoc, ne quis nos reprehendat in hac plenitudine, quæ ministratur à nobis. Providemus enim bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. In his verbis apparet, quantum non solum curam sanctarum plebium esse voluerit, ministrare necessaria sanctis Dei servis, consilium in hoc dans, quia hoc magis ipsis qui hoc faciebant proderat, quam illis erga quos faciebant (illis enim aliud proderat, id est, hoc erga se obsequio fratrum suorum*

Exodi 16.
18.

* f. vestrum.

sanctè uti, nec propter hoc Deo servire, nec ista sumere nisi ad supplendam necessitatem, non ad pascendam pigritiam) sed etiam suam curam beatus Apostolus tantam dicit in hac ministracione, quæ nunc per Titum transmittabatur, ut comitem peregrinationis suæ propter hoc commemoret ordinatum ab Ecclesiis, boni testimonii hominem Dei, *cujus laus*, inquit, *in Evangelio est per omnes Ecclesias*. Et ad hoc dicit illum ordinatum comitem sibi, ut devitaret hominum reprehensiones, ne sine testimonio sanctorum in hoc ministerio sociorum, tamquam sibi accipere, & a in sinus suos convertere ad infirmis & impiis putaretur, quæ accipiebat ad supplendas necessitates sanctorum per se afferenda vel distribuenda indigentibus.

2. Cor 9. I.
 &c.
 Ministerium in sanctos quo suppleatur carnalia, à quibus vicissim accipiuntur spiritalia.

18. Et paulò post dicit: *Nam de ministerio quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis. Scio enim promptum esse animum vestrum, de quo gloriatur pro vobis apud Macedonas; quoniam Achaia parata est ab anno priore, & quæ ex vobis est æmulatio irritavit plures. Misimus autem fratres, ne gloria nostra quam habemus in vobis, evacuetur in hac parte, ut sicut dixi, parati sitis: ne cum venerint mecum Macedones, & invenerint vos imparatos, confundamur nos, ut non dicam vos, in hac substantia. Necessarium ergo existimavi rogare fratres, ut præcedant ad vos, & præparent jam pridem repromissam hanc benedictionem vestram, ut sit parata, sic quasi benedictionem, non quasi avaritiam.*

a Casalensis MSS. in suos usus.

tiam. Hoc autem a: Qui parca seminat, parca & metet; & qui seminat in benedictione, in benedictione & metet. Unusquisque secundum quod proposuit corde, non ex tristitia aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus. Potens est autem Deus omnem gratiam abundantem facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum. Qui autem subministrat semen seminanti, & panem in escam subministrabit, & multiplicabit seminationem vestram, & auget crescentes fruges justitiæ vestræ, ut in omnibus ditati b in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo: quoniam ministerium functionis hujus non solum supplet ea quæ desunt sanctis, sed & abundare facit per multorum gratiarum actionem Deo, per probationem ministracionis hujus glorificantes Deum in obsequio confessionis vestræ in Evangelium Christi, & simplicitati communicationis in illos & in omnes, & in ipsorum precatone pro vobis, desiderantium vos propter excellentem gratiam Dei in vobis. Gratias Deo super inenarrabili dono ejus. Quanta pinguedine sanctæ lætitiæ sit perfusus Apostolus, dum loquitur de altero supplemento indigentiae militum & provincialium Christi, hinc de rebus carnalibus in illos, inde autem de spiritalibus

KK 2 in

a Editi, *Hoc autem dico*. Abest dico à MSS. & à græco textu Apostoli.
 b Editi, *ditati abundetis*. Verbum *abundetis* non est in MSS. nec exprimitur in græco.
 c Editi, *in Evangelio*: dissentientibus MSS.

in istos; ut exclamaret, & tamquam sanctorum gaudiorum sagina eructuaret, dicens: *Gratias Deo super inenarrabili dono ejus?*

Paulo obediant & servi Dei laborando, & boni fideles eorum necessitates suppiendo.

a

19. Sicut ergo non cessavit Apostolus, imò Spiritus Dei possidens & implens & agens cor ejus, exhortari fideles qui haberent a hujusmodi substantiam, ut nihil deesset necessitatibus servorum Dei, qui celsiorem sanctitatis gradum in Ecclesia tenere voluerunt, ut spei sæcularis vincula cuncta præciderent, & animum liberum divinæ militiæ dedicarent: sic debent & ipsi præceptis ejus obedire, ut compatiantur infirmis, & amore privatæ rei non illigati manibus suis in b commune laborare, præpositis suis sine murmure obtemperare; ut hoc suppleatur ex oblationibus bonorum fidelium, quod laborantibus & aliquid unde victum transigant operantibus, propter infirmitates tamen corporales aliquorum, & propter ecclesiasticas occupationes vel eruditionem doctrinæ salutaris, deesse c putaverint.

b

c

CAPUT XVII. Obtendunt pigri vacare se orationi, psalmis, lectioni & verbo Dei.

20. QUID enim agant qui operari corporaliter nolunt, cui rei vacent scire desidero. Orationibus, inquit, & psalmis, & lectioni, & verbo Dei. Sancta planè vita & Christi suavitate laudabilis: sed si ab his advocandi non sumus, nec manducandum est, nec ipsæ esca quotidie præparandæ, ut possint apponi & assumi. Si autem ad ista vacare servos Dei certis intervallis temporum ipsius infirmitatis necessitas cogit, cur non & apostolicis præceptis observandis aliquas partes temporum deputamus? CITIUS enim EXAUDI-
TUR UNA OBEDIENTIS ORATIO, quàm decem mil-

Inter laborandum licere psallere.

- a Unus è Vaticanis MSS. *hujus mundi.*
b Sic MSS. At editi, *in communi labore.*
c Er. *potuerit.* Unus è Vatic. MSS. *potuerit.*

millia contemptoris. Cantica verò divina cantare, etiam manibus operantes facillè possunt, & ipsum laborem tamquam divino a celeumate consolari. An ignoramus, omnes opifices quibus vanitatibus & plerumque etiam turpitudinibus theatricarum fabularum donent corda & linguas suas, cum manus ab opere non recedant? Quid ergo impedit servum Dei manibus operantem in lege Domini meditari, & psallere nomini Domini Altissimi, ita sanè ut ad ea discenda, quæ memoriter recolat, habeat seposita tempora? Ad hoc enim & illa bona opera fidelium subsidio suppleendorum necessariorum deesse non debent, ut horæ quibus ad erudiendum animum ita vacatur, ut illa opera corporalia geri non possint, non b opprimant egestate. Qui autem se dicunt vacare lectioni, nonne illic inveniunt quod præcipit Apostolus? Quæ est ista ergo perversitas, lectioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare, & ut quod bonum est diutiùs legatur, ideo facere nolle quod legitur? Quis enim nesciat tanto citiùs quemque proficere cum bona legit, quanto citiùs facit quod legit?

Psal. 1. 2.
Psal. 12. 6.

b

Lectionem non prodesse, nisi fiat quod legitur.

21. SI autem alicui sermo erogandus est, & ita occupat ut manibus operari non vacet; numquid hoc omnes in monasterio possunt, venientibus ad se ex alio genere vitæ fratribus, vel divinas lectiones exponere, vel de aliquibus quæstionibus salubriter disputare? Quando ergo non omnes possunt, cur sub hoc obtentu omnes vacare volunt? Quàmquam etsi omnes possent, vicissitudine face-

CAPUT XVIII. Erogandi verbi Dei obtentu nolentes laborare castigantur.

KK 3

re

- a κέλευμα, cantus nautarum & remigum, quo se mutuo ad laborandum excitant.
b Plures MSS. *opprimantur.*

re deberent, non solum ne ceteri à necessariis operibus occuparentur, sed etiam quia sufficit ut audientibus pluribus unus loquatur. Deinde ipsi Apostolo quomodo vacaret operari manibus suis, nisi ad erogandum verbum Dei certa tempora constitueret? Neque enim & hoc Deus latere nos voluit. Nam & cum jus artis opifex fuerit, & quibus temporibus vacaret dispensando Evangelio, sancta Scriptura non tacuit. Nam cum eum dies perfectionis urgeret in Troade constitutum, etiam in una sabbati congregatis fratribus ad frangendum panem, tanta fuit intentio & tam necessaria disputatio, ut sermo produceretur usque ad medium noctis, tamquam excidisset eis quod eo die non esset jejunium: quando autem in ^a aliquo loco immoratus quotidie disputabat, quis dubitaverit horas eum habuisse ad hoc officium deputatas? Namque apud Athenas cum esset, quia studiosissimos rerum inquisitores invenerat, ita de illo scriptum est: *Disputabat igitur cum judæis in synagoga, & gentibus ^b incolis in foro per omnem diem ad eos qui aderant.* Non enim in synagoga per omnem diem, ubi mos erat sabbato sermocinari: sed *in foro*, inquit, *per omnem diem*; propter studia utique Atheniensium. Sic enim sequitur: *Quidam verò epicureorum & stoicorum philosophorum concurrebant cum illo.* Et paulò post dicit: *Athenienses autem & advenæ hospites ad nihil aliud*

^a Nonnulli MSS. in alio loco: & plerique, immoraturus.

^b Editio Lov. *gentibus in vinculis & foro.* Erasm. *gentibus singulis in foro.* Nonnulli MSS. *gentibus in vinculis, in foro.* Vetus Floriacensis vetus codex, *gentibus incolis in foro.* Nam græcè legitur, *τοῖς σεβομένοις.*

Paulus ad erogandum verbum certa tempora constituit, & alia ad laborandum.

Act. 20. 7.

Act. 17. 17.

Ibidem 18.

Ibid. 21.

aliud vacabant, quàm dicere aliquid novi, aut audire. Putemus Apostolum illis omnibus diebus quibus fuit Athenis, non fuisse operatum: propter hoc enim & ex Macedonia supplebatur ejus indigentia, sicut dicit in secunda ad Corinthios: quàmquam & aliis horis & noctibus poterat, quia ita valebat & animo & corpore. Sed cum Athenis exisset, videamus quid dicit Scriptura: *Disputabat, inquit, in synagoga per omne sabbatum;* hoc apud Corinthum. In Troade verò, ubi necessitate imminentis perfectionis usque ad medium noctis sermo protractus est, una sabbati erat, qui dies Dominicus dicitur: unde intelligimus eum non fuisse cum judæis, sed cum christianis, quando etiam dicit ipse narrator ad frangendum panem fuisse collectos. Et ipsa est optima gubernatio, ut omnia suis temporibus distributa ex ordine gerantur, ne animum humanum turbulentis implicationibus involuta perturbent.

22. Ibi etiam dicitur quid operabatur Apostolus. * *POST hæc*, inquit, *egressus ab Athenis venit Corinthum, & cum invenisset quemdam judæum nomine Aquilam, ponticum genere, recens advenientem ab Italia, & Priscillam uxorem ipsius, propterea quod jussisset Claudius discedere omnes judæos Roma, accessit ad illos, & propter artis similitudinem mansit apud illos opus faciens. Erant enim * tabernaculorum artifices.* Hoc si conati fuerint allegoricè interpretari, ostendent quomodo proficiant in ecclesiasticis litteris, quibus se vacare gloriantur. Et certè illa quæ suprà dicta sunt: *Numquid ego solus & Barnabas non habemus potestatem non operandi;* & *Non*

2. Cor. II. 9.

Act. 18. 4

Act. 20. 7.

Optima gubernatio, ut omnia ex ordine gerantur.

Operatum esse Paulum opus verè corporale

* CAPUT XIX.

Act. 18. I. &c.

* ταβηροποιοῖ.

1. Cor. 9.

6.

Ibid. 12. *sumus usi hac potestate; & Cum possemus*
 1. *Thess.* 2. *vobis oneri esse ut Christi Apostoli; & Noc-*
 7. *te & die operantes, ne quem vestrum gra-*
 2. *Thess.* 3. *varemus; & Dominus ordinavit eis qui*
 8. *Evangelium annuntiant, de Evangelio vi-*
 1. *Cor.* 9. *vere, ego autem nullius horum usus sum;*
 14. & 15. *& cetera hujusmodi, aut exponant aliter, aut*
 si præclarissima luce veritatis urgentur, intel-
 ligant & obediant: aut si obedire vel nolunt
 vel non possunt, saltem illos qui volunt me-
 liores, qui autem & possunt feliciores esse fa-
 teantur. Aliud est enim corporis infirmitatem,
 vel veram allegare, vel falsam prætere: aliud
 autem sic decipi, & sic decipere, ut
 insuper ideo videatur in servis Dei major es-
 se justitia, quia potuit inter imperitos reg-
 nare pigritia. Qui enim veram corporis osten-
 dit infirmitatem, humanè tractandus est: qui
 autem falsam præterdit & convinci non po-
 test, Deo dimittendus est: neuter tamen eo-
 rum perniciosam regulam^a figit: quia bonus
 servus Dei & manifestè infirmo fratri suo ser-
 vit, & fallenti eum credit, quia malum eum
 non putat, non imitatur ut malus sit; & si
 non ei credit, fallacem putat, ac nihilomi-
 nus non imitatur. Ab illo verò qui dicit:
 Hæc est vera justitia, ut nihil corporaliter
 operando imitemur volatilia cæli, quoniam qui
 tale aliquid fuerit operatus, contra Evangelium
 facit; quisquis animo infirmus hoc audit & cre-
 dit, non quia sic vacat, sed quia sic errat, lu-
 gendus est.

CAPUT
XX.

Objectio,
an ceteri
Apostoli
non labo-
rantes ac

23. HINC exoritur altera quæstio: for-
 tasse enim dicat: Quid ergo, ceteri Aposto-
 li

^a Sic meliores MSS. At Lov. *figat. Er. figat.* Non-
 nulli MSS. *figit.*

li & fratres Domini & Cephas, quia non ope-
 rabantur, peccabant? Aut afferebant impedi-
 mentum Evangelio, quia dicit beatus Paulus,
 ideo se non usum hac potestate, ne quod
 impedimentum daret Evangelio Christi? Si enim
 peccaverunt, quia non operati sunt, non er-
 go acceperant potestatem non operandi, sed
 de Evangelio vivendi. Si autem acceperant
 hanc potestatem, ordinante Domino, ut qui
 Evangelium annuntiarent, ex Evangelio vive-
 rent, & dicente: *Dignus est operarius ci-*
bo suo; qua potestate Paulus amplius aliquid
 erogans uti noluit: non utique peccaverunt.
 Si non peccaverunt, nullum impedimentum
 dederunt. Neque enim nullum peccatum est,
 impedire Evangelium. Quòd si ita est, & nobis,
 inquit, liberum est, & uti & non uti hac
 potestate.

24. Hanc quæstionem breviter solverem, Responsio.
 si dicerem, quia & justè dicerem, creden-
 dum esse Apostolo. Ipse enim sciebat cur in
 Ecclesiis gentium non oporteret portari ve-
 nale Evangelium, non culpans coapostolos
 suos, sed distinguens ministerium suum: quia
 ita inter se distribuerant, proculdubio admo-
 nente Spiritu sancto, evangelizandi provincias,
 ut Paulus & Barnabas ad gentes irent, illi
 autem in circumcisionem. Hoc tamen eum præ-
 cepisse iis qui non habebant ejusmodi potes-
 tatem, ea quæ jam multa dicta sunt mani-
 festant. * IISTI autem fratres nostri temere
 sibi arrogant, quantum existimo, quòd ejus-
 modi habeant potestatem. Si enim evangelis-
 tæ sunt, fateor, habent: si ministri altaris,
 dispensatores sacramentorum, bene sibi istam
 non arrogant, sed planè vindicant potestatem.

25. Si saltem habebant aliquid in hoc sæ-

de Evan-
gelio vi-
ventes
peccarint.

1. *Cor.* 9.
15.
Matt. 10.
10.

Act. 13. 2.
Gal. 2. 9.
Præcep-
tum ope-
randi eos
spectare
qui non
evangeli-
zant.

* CAPUT
XXI.

Qui vacare
volunt,
cu-

ii plerique ex inope ac laboriosa vita conversi sunt. culo, quo facile sine opificio sustentarent istam vitam, quod conversi ad Deum indigentibus dispertiti sunt, & credenda est eorum infirmitas & ferenda. Solent enim tales, non melius, sicut multi putant, sed quod est verum, languidius educati, laborem operum corporalium sustinere non posse. Tales fortasse multi erant in Jerosolyma. Nam & scriptum est, quod prædia sua vendiderint, & pretia eorum ante pedes Apostolorum posuerint, ut distribuere unicuique sicut opus erat. ^a Quia propè inventi sunt, & utiles fuerunt gentibus, quæ ab idolorum cultu ex longinquo vocabantur, secundum illud quod dictum est: *Ex Sion prodiet lex, & verbum Domini ex Jerusalem*; debitores eorum dixit Apostolus ex gentibus christianos: *Debitores eorum, inquit, sunt*; & addidit quare: *Si enim spiritualibus eorum, inquit, communicaverunt gentes, debent & in carnalibus ministrare eis.* * NUNC autem veniunt plerumque ad hanc professionem servitutis Dei & ex conditione servili, vel etiam liberti, vel propter hoc à dominis liberati sive liberandi, & ex vita rusticana, & ex opificum exercitatione & plebeio labore, tanto utique felicius quanto fortius educati: qui si non admittantur, grave delictum est. Multi enim ex eo numero verè magni & imitandi exstiterunt.

Act. 2. 45.
& 4. 34.

Isai. 2. 3.

Rom. 15.
27.

* CAPUT
XXII.

1. Cor. 1.
27. &c.

Nam propterea & infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia; & stulta mundi elegit, ut confunderet sapientes; & ignobilia mundi, & ea quæ non sunt tamquam sint, ut ea quæ sunt evacuentur: ut

^a Ita MSS. At editi, *Quapropter inventi sunt fideles, & utiles fuerunt gentibus.*

non gloriatur omnis caro coram Deo. Hæc itaque pia & sancta cogitatio facit, ut etiam tales admittantur, qui nullum afferant mutata in melius vitæ documentum. Neque enim apparet, utrum ex proposito servitutis Dei venerint, an vitam inopem & laboriosam fugientes vacui, pasci atque vestiri voluerint, & insuper honorari ab eis à quibus contemni conterique consueverant. Tales ergo quoniam se quo minus operentur, de infirmitate corporis excusare non possunt, præteritæ quippe vitæ consuetudine convincuntur, umbraculo malæ disciplinæ se contegunt, ut ex malè intellecto Evangelio præcepta apostolica pervertere meditentur; verè volatilia cæli, sed per superbiam in altum se extollendo; & foenum agri, sed carnaliter sentiendo.

26. Contingit enim eis quod in viduis junioribus indisciplinatis cavendum idem Apostolus dicit: *Simul autem & otiosæ esse discunt, non solum autem otiosæ, sed etiam curiosæ & verbosæ, loquentes quæ non oportet.* Hoc ille de malis feminis dicebat, quod nos etiam in malis viris dolemus & plangimus, qui adversus eum ipsum, in cujus epistolis ista legimus, otiosi & verbosi, quæ non oportet loquuntur. Et si qui sunt inter eos, qui eo proposito ad sanctam militiam venerint, ut placeant cui se probaverunt, cum ita vigeant viribus corporis & integritate valetudinis, ut non solum erudiri, sed etiam secundum Apostolum operari possint, exceptis istorum otiosis corruptisque sermonibus, quos judicare per imperitum tyrocinium non valeant, in eandem labem pestifera contagione ^a mutantur: non solum non imitantes obedi-

Contra otiosos & verbosos, qui exemplo & verbo alios avocant à labore. 1. Tim. 5. 13.

^a Sic MSS. At editi, *imitantur*: minus bene.

dientiam sanctorum quietè operantium, & aliorum monasteriorum in saluberrima disciplina secundùm apostolicam normam viventium, sed etiam insultantes melioribus, tamquam conservatricem Evangelii prædicantes pigritiam, tamquam prævaricatricem accusantes misericordiam. Multo enim misericordius operatur erga animas infirmorum qui bonæ famæ servorum Dei consulit, quàm erga corpora egenorum qui panem esurientibus frangit. Quapropter utinam isti qui vacare volunt manibus, omnino vacarent & linguis. Neque enim tam multos ad imitationem invitarent, si eis non tantùm exempla pigra, sed etiam muta proponerent.

CAPUT
XXIII.
Evangelium non
rectè intellectum
à pigris.

27. NUNC verò contra Apostolum Christi recitant Evangelium Christi. Ita enim mirabilia sunt opera pigrorum, ut impediri velint Evangelio, quod Apostolus ideo præcepit & fecit, ne impediretur ipsum Evangelium. Et tamen si eos ex ipsis Evangelii verbis secundùm eorum intellectum vivere cogamus, priores nobis suadere conabuntur, quàm non ita sint intelligenda ut intelligunt. Certè enim propterea se dicunt operari non debere, quia nec volucres cæli seminant, neque metunt, de quibus nobis Dominus similitudinem dedit, ne de talibus necessariis cogitemus. Cur ergo non adtendunt quod sequitur? Neque enim tantummodo hoc dictum est, quia *non seminant, neque metunt*: sed adjectum est, *neque congregant in apothecas*. Apothecæ autem, vel horrea, vel verbum ex verbo, ^a repositoria dici possunt. Cur ergo isti manus otiosas & plena repositoria

^a In plerisque MSS. *repositoria*.

volunt habere? Cur ea quæ sumunt ex laboribus aliorum, recondunt & servant unde quotidie proferatur? Cur denique molunt & coquant? Hoc enim aves non faciunt. Aut si reperiunt quibus hoc opus quoque persuadeant, ut eis per singulos dies escas afferant præparatas; saltem sibi aquam vel de fontibus afferunt, vel de cisternis aut puteis hauriunt & reponunt: hoc volatilia non faciunt. Sed si hoc placet, studeant etiam boni fideles & Regis æterni devotissimi provinciales, fortissimis ejus militibus usque ad ista servire, ut sibi nec aquam implere cogantur, si jam etiam illos qui tunc erant Jerosolymæ novo gradu justitiæ supergressi sunt. Nam illis fame imminente, & per Prophetas qui tunc erant antè prædicta, boni fideles ex Græcia frumenta miserunt; ex quibus credo quòd illi panem sibi fecerunt, aut certè faciendum curaverunt; quod aves non faciunt. Sed si jam isti, ut dicere cœperam, etiam illos aliquo gradu justitiæ transierunt, & omnino in iis quæ ad transigendam vitam istam pertinent, sicut volucres agunt; ostendant nobis homines servire volucris, sicut sibi serviri volunt, nisi captis & inclusis, quibus fides non habetur, ne volantes non redeant: & tamen illæ malunt frui libertate, & ex agris quantum satis est capere, quàm ab hominibus apposita & apparatus sumere.

28. Proinde rursus istos alio sublimiore gradu justitiæ superabunt, qui se ita instituerint, ut quotidie in agros tamquam in pastum pergant, & ^a quo tempore invenerint carpant, ac ^b sopita fame revertantur. Sed planè

^a Casalensis vetus codex, & quod pro tempore.
^b Cisterciensis MS. *posita fame*.

Act. 14. 28.

Jocose deridentur
iguavi.

^a
^b